



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671


Sect. j. De natura fortitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

derent. Eorum omnium causa est, quia bilis cum accendatur insurgente motu iræ, accendit etiam spiritus, unde statim turbatur ratio, quia spiritus esse debent temperati & tranquilli, ut sint idonei mentis functionibus. Excitantur etiam vapores ab eadem bile effervescente, qui caput opplent & ofuscant. Denique idem humor biliosus calefactus passionem etiam iræ auget per sympathiam, indeque totum immutat corpus, quia est valde calidus; unde cum spiritibus & sanguine simul foras sese prodit in oculis & vultu, veluti vnâ in hostem ruiturus.

Colliges ex his primò, quanam remedia sint idonea ad sedandam nostram in alios iram. Primum & optimum est animi demissio & humilitas; nam ira oritur ex dolore ob contemptum; qui autem humilis est, non molestè fert contemptum. Secundum ut minuamus opinionem contemptus, seu iniuria acceptæ. Tertium ut proprios cogitemus defectus. Quartò ut tantisper cohibeamus animum à vindicta, donec ira deferuerit. Quintò fugere iracundorum hominum consortium. Sextò non multum inquirere, quid de nobis dicatur. *Multa nos iniuria transeunt*, inquit, Seneca, *ex quibus pleraque non accipit qui nescit*. Septimò ponenda ob oculos exempla patientiæ.

Colliges secundò aliorum in nos iram sedari. Primò si non obstitimus irato: initia malorum quies curat. Secundò iuvat suavi oratione iratum placare. Tertiò fateri culpam, & irato non contradicere. Et hæc de passionibus satis sit, ut ex his intelligere quisque possit eorum victoriam, totum esse debere studium sapientiæ.



DISPUTATIO III.

De virtutibus moralibus in specie.

Aristoteles à lib. 3. ad 10.



ACTENVS in genere proposui virtutis moralis naturam, actus, & materiam, ut inde cognosci possit vniuersim character ipse virtutis: nunc ad singulas explicandas curam conuertit Philosophus, explicatque primò fortitudinem, temperantiam, iustitiam; deinde virtutes intellectuales, semiuitutes, & amicitiam. Ego parum ab eo discessero, si quatuor questionibus Cardinales quatuor virtutes exposuero.

QVÆSTIO I.

De fortitudine, & adiunctis ei virtutibus.

Aristot. lib. 3. à cap. 6. ad 10.

ORditur ergo Philosophus à fortitudine, non quòd ea reliquis præcellat virtutibus; sed quòd natiuitate illas ferè antecedit omnes, imò & quodammodo complexa esse videatur. Unde factum esse notat Guillelmus Parisiensis lib. de virtutibus, cap. 4. ut virtutis genericum nomen illi soli aptatum sit. Mihi dicere satis erit eius naturam & vi-

tia opposita; deinde partes illi annexas, & opposita singulis vitia.

SECTIO I.

De natura fortitudinis.

Certum est primò, dari virtutem aliquam specialem ab aliis omnibus distinctam, quæ fortitudo appelleretur; fortitudinis enim nomen, ut rectè docet S. Thomas 2. 2. quæst. 123. art. 2. significat primò firmitatem quandam animi in bono honesto; & sic fortitudo generalis est virtus, vel potius conditio virtutis cuiuslibet, cuius proprium semper est, inquit Philosophus 2. Ethic. cap. 4. firmiter & immobiliter operari. Secundò fortitudinis nomen significat firmitatem animi in sustinendis & repellendis iis, in quibus est difficile firmitatem habere, ut sunt mortis pericula; & ut sic illa est virtus specialis, quia materiam habet determinatam, & honestatem respicit specialem, à qua mouetur, & à qua specialem habet difficultatem & laudem.

Fortitudo virtus ab aliis distincta.

Certum est secundò definiri optimè fortitudinem 3. Ethic. cap. 7. mediocritatem, quæ circa timores fiduciasque versatur. *Qui igitur*, inquit, *ea quæ oportet, & cuius causa oportet, & ut oportet sustinet ac timet, & simili eiam modo confidit, fortis est; quippe eam pro dignitate, & sicut ratio prescribit, fortis vir & patitur, & agat*. Consonat Tullius citatus ab Augustino lib. 83. questionum, quæst. 1. *Fortitudo*, inquit, *est considerata laborum perperio, & periculorum susceptio*. Quali diceret, fortitudinem esse virtutem, quæ inducitur mediocritas in affectus timoris & audaciæ, ne impediatur voluntas ab eo quod circa malorum pericula hominem decet. Quæ definitio ut intelligatur, explicari debent fortitudinis obiectum, actus, proprietates, vitia fortitudini vel opposita, vel similia.

Fortitudinis definitio.

§. I.

Obiectum fortitudinis.

Aristot. 3. Ethic. cap. 6.

DVo probat Philosophus cap. illo 6. Primò fortitudinem versari circa terribilia, tanquam circa proprium obiectum: secundò illam non versari circa quælibet terribilia.

Fortitudinis materiale obiectum remotum.

Dico primò, fortitudinis materiale obiectum remotum esse res terribiles, idest mala & pericula, præsertim maxima, cuiusmodi est mors, & ea quæ spectant ad res bellicas.

Ratio est, quia fortitudinis obiectum, ut rectè notat S. Thomas 4. Ethic. lect. 1. aliud est remotum, aliud proximum. Proximum sunt passionibus fortitudo imponit mediocritatem. Remotum est id circa quod versantur huiusmodi passionibus. Illud dixi esse terribilia, idest mala & pericula malorum; deinde quanam sint ea terribilia.

Primò ergo probat Philosophus, terribilia respici à virtute fortitudinis, quia fortitudo est mediocritas circa timores & fiducias: sed timores & fiduciæ non versantur nisi circa res terribiles; solas enim illas metuimus, cum illæ simpliciter sint malæ; metus autem expectatio est mali, & circa eas etiam exercetur fiducia, ut patet: ergo terribilia, idest ea quæ difficile sunt aut tolerantur, sunt obiectum fortitudinis. Probatque S. Thomas q. 123. art. 1.

art. 1. Quia virtutis proprium est hominem bonum reddere, & opus eius bonum secundum legem rationis; quia hominis bonum ex S. Dionysio, est secundum rationem esse, quod contingere potest tripliciter: primum secundum quod ratio ipsa rectificatur, quod fit per virtutes intellectuales: deinde secundum quod ipsa rectitudo rationis in rebus instituitur humanis, quod pertinet ad iustitiam: tertio secundum quod tolluntur impedimenta huius rectitudinis in rebus humanis ponenda; impeditur autem dupliciter, uno modo per hoc quod attrahitur ab aliquo delectabili, quod tollitur per temperantiam: deinde per aliquod difficile, quod tollitur per fortitudinem moderantem fiducias & timores.

Secundo proponit Philosophus, quamnam terribilia obiectum sint fortitudinis; aliqua enim sunt quae non sunt obiecta fortitudinis, quia mediocritas circa metum eorum, & fiduciam non est fortitudo. Debent igitur primo haec mala, ut fortitudini accommodentur, talia esse, ut honeste suscipi, vel sustineri possint, qualia sunt ea quae pro Reipublicae salute suscipiuntur; unde nec duellantes, nec grassatores dici debent fortes, sed feri potius, & immanes. Secundo perfectae fortitudinis obiectum sunt ea terribilia, quae sunt maxima, praesertim mors; quia illa, inquit, maxime omnium est horribilis, cum sit terminus, nihilque amplius homini mortuo aut bonum, aut malum esse videatur. Tertio non circa quamlibet mortem versari vir fortis videtur, ut si contigerit in morbo vel in mari; sed versatur circa eam mortem, quae in pulcherrimis rebus contingit, cuiusmodi est mors in bello appetita. Ille igitur verè fortis est, qui circa praecalam mortem fuerit impavidus, & circa ea quae mortem afferunt, cum proxima sunt.

Materiale
proximum.

Dico secundo, obiectum materiale fortitudinis proximum esse affectus timoris & audaciae; obiectum autem formale esse honestatem mediocritatis circa illos affectus timoris & audaciae.

Prima pars asseritur 2. *Ethic. cap. 7.* & 3. *Ethic. cap. 6.* Quia scilicet immoderatio duorum illorum affectuum est vituperabilis, mediocritas autem laudatur: ergo datur circa illos affectus moderatio, quae vocatur fortitudo. Rationem asserit S. Thomas *art. 3.* quia proprium fortitudinis est tueri voluntatem hominis, ne retrahatur à bono rationis; sed non potest retrahi nisi ex aliquo timore mali: ergo fortitudo versatur principaliter circa timores rerum difficultium, quae voluntatem retrahere possunt à bono rationis. Oportet autem impulsus illum non solum moderate tolerare difficultia, sed etiam aggredi, quando ea oportet exterminare: ergo fortitudo versatur circa timores & fiducias.

Secunda pars de obiecto formali fortitudinis probatur ex 3. *Ethic. cap. 7.* *Fortis vir*, inquit, *ut homo erit interitius; timebit tamen ipse mala huiusmodi, sed ut oportet, & ut ratio praescribit, honestatis causâ sustinebit, quippe cum hic finis virtutis sit.* Unde argumentor. Nunquam est actus alicuius specialis virtutis, nisi cum aliquid sit ob finem virtutis: sed finis virtutis est honestas virtutis: ergo nunquam est actus specialis, nisi quando sit propter honestatem specialem. Minorem deinde probat. *Qui igitur ea quae oportet, & ut oportet, sustinet ac timeat, & simili modo confidit, fortis est.* Finis autem universae operationis est qui secundum habitum existit; at viro forti fortitudo ipsa honesta res est: talis igitur erit etiam finis, quippe cum fine singula definiuntur.

§. II.

Actus fortitudinis.

Aristot. 3. *Ethic. cap. 7.* & 9.

Explicat illos in genere *cap. 7.* Deinde ad eos in particulari descendit *cap. 9.* Vbi asserit proprietates viri fortis.

Dico tertio, actus elicitos fortitudinis esse duos tantum. Prior & potior est tolerare dura: secundus minus nobilis est aggredi difficultia.

Prima pars, duos ponens actus fortitudinis, probatur ex obiecto proximo illius, quod est duplex, mediocritas timoris nimirum & fiducia; circa duos enim illos affectus non potest esse mediocritas nisi duplex: ergo neque actus esse possunt nisi duos; nam omnis timor moderatus pertinet ad perpersionem: omnis fiducia & audacia moderata pertinet ad aggressionem difficultium: ergo duo duntaxat sunt actus elicti fortitudinis.

Secunda pars asserit, nobiliorem esse actum, quo toleramus & moderamur timores, quam eum quo agimus, & moderamur audaciam; ita enim sentit Aristoteles *cap. 9.* *Quamvis, inquit, circa fiduciam & timores vir fortis versetur, fortitudo tamen non simili modo in utroque, sed in timendis rebus magis spectatur.* Probatque, quia difficultius est dolores ferre quam abstinere à voluptatibus, & aggredienda: ergo est laudabilior actus fortitudinis. Probatur antecedens, quia quod est minus voluntarium, est difficilius; perperissio autem dolorum est minus voluntaria quam aggressio: ergo perperissio dolorum est difficilius. Deinde qui aggreditur, non apprehendit malum nisi ut futurum: perperissio apprehendit ut praesens, difficilius autem malum praesens, quam malum futurum. Addit S. Thomas 3. *Ethic. lect. 18.* esse difficilius stare contra fortorem, quam insurgere in aequalem vel minorem; timor autem imminet homini ab aliquo fortiori contra ipsum insurgente, non autem audacia: ergo timor est difficilius quam audacia.

Dico quarto, proprietates actus fortitudinis, & ipsius viri fortis sex numerari ab Aristotele *cap. 9.*

Primo enim fortis, inquit, impavidus est ut homo, atque timeat quidem res formidolosas, quae facultatem hominis excedunt; verum ut oportet, & ut dicat ratio, tolerat honestatis causâ. Secundo agit ex honesta causa, quae sunt ipsius fortitudinis. Tertio fortitudo maxime apparet esse perfectissima in iis quae subito eveniunt; non quod fortitudo in iis quae in electione sunt, magis versetur circa repentina; sed quod subito casus magis ostendant habitum acquisitum. Quarto fortes in actu suo nam assument dolore moderatam; nam ut dicitur *cap. 8.* furor cooperatur fortibus. Quinto fortis tolerantio delectatur ex una parte, nimirum ex consideratione actus & finis sui; aliunde vero ex perpersione tristitiam dolores sentit, atque tristatur. Fortitudinis enim finis, inquit, iocundus esse videtur; verum ab evenientibus doloribus offuscatur. Idque probat exemplo pugilum, quibus iocundus est finis, ob quem pugnant, sed molestum est card. Sic mors quidem & vulnera forti viro molesta erunt, atque inuitus feret; sed feret tamen, quia honestum est ea ferre, & turpe non ferre: neque fit in omnibus virtutibus, ut cum voluptate operemur, quoad attingitur finis. Sexto fortes non sunt semper optimi milites, sed ij qui minus sunt fortes, & nullum aliud bonum habent; quia hi parati sunt obficere se periculis, vitamque pro parvo emolumento perdunt.

§. III.

§. III.

Vitia fortitudini opposita.

Aristot. 3. Ethic. cap. 7.

Dico quintò, vitia fortitudini opposita esse duo: primum est timiditas per excessum timoris & defectum audaciæ: alterum audacia per defectum timoris, & excessum fiducia.

Timiditas. Timiditas longius à fortitudine recedit, quam audacia, ut sæpe docet Philosophus; excedit enim in timendo, & in audendo deficit; quod est sine dubio contra præscriptum rationis; quia timidus non audent aggredi, quando ratio dicit, aut sicut dicit; sed liquitur statim animo, quoties graue aliquod impendit, & timore præpeditus, abrupte actionem, & difficultati propositæ succumbit; quod est contrarium fortitudini, & peccatum interdum graue, aliàs leue pro diuersitate illius mali, quod periculo premente committitur.

Audacia. Audacia diuiditur ab Aristotele in duas species; alteram appellat intimidatam, alteram absolute vocat audaciam. *Intimidata*, inquit, *vitium est nomine carens; sed infania tamen & indolentia potest nominari.* Definitur defectus in timendo contra præscriptum rationis, v. g. cum neque fulmina timeantur, neque terræ motus; id quod ait tribui Celtis: recta enim ratio non solum timorem reprimat ne excedat, sed excitat eum etiam aliquoties, ut malum declinet, quando non est iusta ratio ut sustineatur. *Qui enim*, inquit lib. 1. magnorum Mortalium, *tunc non timet, non fortis, sed iurens est; quia metuendum quidem, sed tolerandum est; nam si nihil metuens toleret, nequaquam fortis.* Vnde dicitur 3. Ethic. cap. 7. furiosos nihil timere. Eleganter Seneca ad Polybium cap. 36. *Non sentire mala non est hominis; non ferre non est viri.*

Audacia proprie dicta, siue temeritas, excessus est in audendo & aggrediendo, cum quis ut repellat malum imminens, aliquid aggreditur, quod non conuenit, vel quomodo non conuenit, vel quando non conuenit. *Qui enim*, inquit Aristoteles cap. 7. *considerando in rebus terribilibus excedit, audax est, & arrogans, & fortitudinis affectator.*

Actus ignauia. Dico sextò, actus ignauia istos ab Aristotele rectè numerari.

Primo timere quæ non oportet; secundò deficere in confidendo; tertio malè se habet timidus circa spem, cum vniuersa timeat; fortis verò contra se habet: confidere namque bene sperantis hominis est. Quarto mortem sibi consciscere ad fugiendam paupertatem, aut amorem, aut molestum aliquid, non fortis hominis est, sed potius timidi; est enim mollitudinis laboriosa fugere; atque non quia res est honesta, expetit mortem; sed quia malum fugit. Fortis enim virorum est, inquit ille apud Curtium lib. 7. magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Sæpe radio laboris ad vilitatem compelluntur ignaui. Aureus poëta ingeniosus, *Fortiter ille facit qui miser esse potest.*

Actus intimidatis. Actus intimidatis sunt primò nihil omnino timere: secundò dolorem omnem & cruciatum spernere, quod factum esse ab Epicuro testatur Tertullianus cap. 45. *Apologeticè*, tertio nihil velle concedi naturæ, cum tamen homo saxeus non sit, ut Seneca tradit cap. 37. ad Polybium. Quarto ex motu turpi tormenta subire grania. Quintò pertinaciter in sententia sic herere, ut nunquam apparere velit ab ea dimotus.

Actus audaciæ isti sunt. Primò qualis est fortis circa res ipsas formidolosas, talis videri vult audax. Secundò plures ipsorum timidi sunt; in iis audentes res formidolosas non sustinent. Tertio audaces ante ipsa pericula præcipientes sunt, & volunt ea; sed cum in ipsis sunt, tergiversantur. Fortes autem in ipsis quidem operibus sunt feruidi, antea verò quieti.

Actus audaciæ.

§. IV.

Vitia fortitudini affinia.

Aristot. 3. Ethic. cap. 8.

Dico septimò, vitia fortitudini affinia ea dici, quæ nomen habent & imitationem aliquam fortitudinis; quemadmodum inquit Philo lib. de fortitudine, nummi adulterini veram referunt Principis imaginem.

Vitia fortitudini affinia.

Prima vocatur fortitudo ciuilis, quæ nimirum in pericula irruit non propter honestatem fortitudinis, sed ad vitandam penam, quam ignaui sanciunt leges, vel ad obtinenda præmia & honores fortibus in Republica dati solitos. Ciuis enim ob increpationes quæ sunt ex legibus, & opprobria, honoresve subire pericula videntur.

Fortitudo ciuilis.

Probat autem hanc non esse veram fortitudinem, quia fortitudo tolerat & aggreditur difficilia propter ipsam honestatem; fortitudo autem ciuilis spe præmij ducitur; ob pudorem enim & appetitionem honoris exercetur, & ob fugiendam reprehensionem, quæ quidem est turpis: ergo spuria est & adulterina fortitudo illa ciuilis: non enim pudore aut necessitate, sed quia res est honesta, fortem esse oportet.

Secunda fortitudinis fucata species est militatis, quæ videlicet contemnit aliquis pericula, eo quod expertus sit illa sæpe vana esse: atque fortis videtur esse, quia quales illæ sunt, alij nesciunt.

Fucata.

Probat autem triplici ratione illam non esse veram fortitudinem; prima est, quia non versatur circa difficilia, quia & aduersarios offendere, & seipsos tueri maxime possunt, & euitare hostis conatus, & illum percutere, cum armis uti maxime possint, & talia habeant ut & ad faciendum sint, & ad non patiendum aptissima; quibus efficitur ut & ipsi tanquam aduersus inermes armati, & tanquam aduersus rudes ludimagistri decerent. Secundò in huiusmodi certaminibus non ij sunt pugnacissimi, qui fortissimi sunt; sed ij qui vires habent, & ij qui optime valent corporibus. Tertio isti tunc timidi fiunt, cum excreuit periculum, & inferiores sunt copiis & apparatu.

Tertia est, quæ quis ardua subit ob concitationem alicuius affectus, præsertim iræ; nam ira fortitudinem maxime acuit, vnde fortiores ij etiam solent esse qui sunt iracundiores. Fortes ergo, inquit Philosophus, ij videntur, qui ob iram feruntur perinde atque fera in eos qui ipsas vulnere afficiunt, quia & fortes concitantur iræ.

Fortitudo ad ardua.

Hanc non esse veram fortitudinem multæ probant rationes. Primò, quia dolore concitati ac irâ huiusmodi homines irruunt in periculum, nihil providentes malorum; nam hoc pacto ipsi asini cum esuriunt, fortes essent; non enim à pabulo verberibus dimouentur. Secundò etiam adulteri propter libidinem audent plurima: ergo qui ob dolorem aut iram ad pericula compelluntur, fortes non sunt. Tertio qui per eos affectus concitati agunt, pugnaces quidem sunt, at non fortes; non enim ob honestatem agunt, nec ut ratio præcipit; sed

ob

ob ipsum affectum; aliqua tamen ex parte sunt similes fortibus.

Fortitudo ex spe. Quarta fortitudinis veræ umbra est eorum, qui sunt fortes ex eo quod spe freti sint, idest qui properetere spem in periculis habent, quia multos sæpe superarunt. Vnde fit ut felicem sibi quisque tunc exitum spondeat, quia sæpe aliàs fuerunt victores.

Illa fortitudo est solum adumbrata. Primò quia se superiores putant, & nihil suscepturos mali; unde nihilo tutiores videntur esse quàm ebrii, qui sperant sibi omnia euentura prosperè. Secundò, cum non eueniunt ipsis talia, qualia sperarunt, fugam arripiunt. Fortis autem viri est res eas, quæ sunt & videntur formidolosæ, ferre; quia honestum est ferre, & turpe est non ferre. Tertio fortis magis videtur qui subitis in periculis est interritus, quàm in præcis; est enim ab habitu magis, & minus ex apparatu.

SECTIO II.

De virtutibus fortitudini adiunctis.

Fortitudo vna est specie. Certum est primò, fortitudinem ita esse vnâ specie infima, ut nullas propriè loquendo sub se habeat virtutes totales specie distinctas, tanquam partes subiectiuas, integrales, aut potentiales. Partes subiectiuas nullas habet proprias, quia omne illud discrimen, quod excogitari potest inter varia obiecta fortitudinis, est materiale. Formaliter autem, & in ratione honesti perinde est moderatè aggredi, & moderatè sustinere. Perinde etiam est non refugere hoc aut illud periculum: nec refert ad formalem rationem fortitudinis, quomodocunque patitur homo. Nam hæc discrimen non efficiunt nisi materiale. Partes etiam integrales proprias & potentiales non habet, quæ nimirum ab ipsa specie differant; quia idem semper habent motuum formale; & illæ omnes quæ communiter numerantur, materialiter solum differunt.

Eius partes potentiales. Certum est secundò, partes fortitudinis potentiales illas vocari à S. Thoma, quæ virtutem imitantur fortitudinis in materia minus difficili, idest quæ idipsum quod fortitudo spectat circa mortis pericula, spectant in materia minus difficili. Septem autem numerantur à S. Thoma, magnanimitas, securitas animi, magnificentia, patientia, longanimitas, perseverantia, constantia, quas tamen omnes facilius videmus cum Augustino reuocare ad magnanimitatem, magnificentiam, patientiam, perseverantiam. Cum enim duo sint munera fortitudinis, pati & aggredi; ad aggrediendum requiritur primò promptitudo quædam animi ad suscipiendum periculum, quod præstat magnanimitas: secundò strenuitas in exequutione, quod facit magnificentia. Ad patiendum requiritur primò ne animus malorum asperitate frangatur, quæ patientia est. Secundò, ne diuturnitate malorum fatiscens cœpta bona abrumpat.

S. I.

Magnanimitas.

Aristoteles 4. Ethic. cap. 3.

Magnanimitatem, fidenciam, & securitatem plurimi distinguunt: ego sub eodem magnanimitatis nomine illas complector, eiusque virtutis cum Philosopho materiam, actus, proprietates, & extrema profero.

Magnanimitatis definitio. Dico primò, magnanimitatem generatim sumptam rectè definiri, virtutem quæ ad magna, & heroica opera in omni virtutum genere inclinatur.

A Ratio est, quia magnus animus dicitur qui adspirat ad magna, eaque sola æstimat & cogitat, quæ verò sunt parua, negligit; is enim, inquit Philosophus, est magnanimus, qui dignus est magnis, & is dignum se esse censeat. Atqui nihil in rebus humanis est magnum præter virtutes, quæ tamen etiam aliæ sunt aliis potiores: ergo ille propriè magnanimus est, qui ad magna inclinatur virtutum opera, modò tamen mortis non sint pericula, quæ obiectum sunt veræ fortitudinis. Neque tamen hæc virtus omnes est amplexa virtutes, tametsi earum ferè omnium sectetur materiam; non enim ex proprio illarum motu spectat huiusmodi obiecta, sed cum habeat pro materia res magnas, idest maximè ardua opera virtutum, sub speciali quodam motu illa respicit.

B Addit Philosophus cap. 3. proprium magnanimi viri esse, quod in quaque virtute magnum est. Et infra docet magnanimitatem esse quoddam virtutum omnium ornamentum; nam & maiores eas, amplioresque facit, & sine illis constare nullo modo potest; imò & sine illa nullas omnino constare posse virtutes, earumque conatus omnes irritos esse docet Nazianzenus orat. 26. Magnanimitas ergo respicit omnes virtutum actus appetendo in eis magnitudinem quandam & excellentiam. Circa eisdem actus eximios versatur fidenciam, quæ sperat se posse vincere periculum, & bonum consequi, licet eximium & difficile. Securitas etiam adheret magnanimitati: proprium eius est excludere timorem & anxietatem, animumque confirmare aduersus anxias curas.

C Dico secundò, magnanimitatem specialem rectè definiri ab Aristotele cap. 3. *Est mediocritas circa honores magnos.* Adeo ut quemadmodum fortitudo moderatur timorem & audaciam in periculis mortis; sic magnanimitas specialis moderetur timorem & audaciam in periculis contemptus: ne videlicet desistat à magnis actibus virtutum ex timore dedecoris, nec aggrediatur ex appetitu honoris. Ita expressè Philosophus eo loco, consentiuntque Valques 1. p. disp. 235. cap. 4. Sepulveda lib. 3. de honestate disciplina militari, Flaminius Nobilius lib. de felicitate, cap. 9. Marinus, & plures alij.

D Ratio est, quia proprium magnanimitatis est animum perficere circa res magnas, adeo ut erga eas rectè se habeat. Hæc enim specialis quædam honestas est per se appetibilis. Honor, præsertim magnus, præcipuum & primum hominis bonum est: ergo proprium est magnanimitatis perficere animum erga maximos honores, ita ut iuxta rationis præscriptum illos dispiciat & appetat. Magni videlicet honores & ignominia propria sunt materia magnanimitatis.

E Colliges virtutem illam, quam innominatam appellat Philosophus, dicitque mediocritatem esse circa honores paruos, non esse aliam quàm Christianam humilitatem, quando heroica humilitas, & versatur circa magnos honores aut ignominias, tunc esse propriam virtutem magnanimitatis; facit enim ut moderatè versetur animum circa honores magnos, inclinando eum ad eximia virtutum opera, contempto dedecore, & appetitu honoris represso.

Dices humilitatem esse partem potentialem temperantia, cuius proprium est moderari affectus appetitus concupiscibilis, cuiusmodi est appetitus honoris.

Respondeo moderatum honoris appetitum, qui dicitur humilitas, spectare posse tum ad temperantiam,